

vinam alicujus ἡ φιλοσοφία vocem, S. Coenam esse sigillum Draconis, Satanam per stultos homines Verbum DEI scripsisse, & mentiri eum enormius Satana, qui perhibeat, fidem oriri ex auditu. Restat taxandum in hac litera BONUM QUIETISTICUM, quod hi appetunt, secuti anteambulonem Molinosum, cujus directio consiliumque huc redit: Homo in peccata lapsus se non debet inquietare, commovere atque atterere, eo, quod hoc manifestum sit signum secretæ superbix. Nam si Deus etiam sanctissimis suis permisit, ut laberentur in peccata, ut videlicet cum humilitate agnoscant, quod subsistant in hac defectuosa natura, quæ nil nisi spinas, infelix lolium, atque alias malignas herbas producit; quid ergo opus est, ut tu te multum affligas? Quin scito, quod Deus etiam vitis scilas sciat facere in cœlum.

C.

CALIGO a filiis istis tenebrarum in DEO, lucem inaccessam habitante, nihilominus esse docetur. Coccyi Böhmi, Weigeliani, Poirettani satis innotuere, quod DEUS Pater sit tenebræ, quod generando *Filium* accipiat lucem, quodque spirando *Spiritum S.* accipiat gaudium & acquiescentiam. Sic ergo aut convitiis consulto proscinditur Numen ter Sanctum, aut spiritus obscuriloquus, λογίας καὶ σκολισικὸς, formam sanorum verborum deferens, oberrat circa tenebras, quas magis amat, quam lucem, eo, quod opera ejus sint mala. Latitat autem sub hoc loquendi tenore Platonismus & vetus Philosophia Ægyptiorum, qui statuerunt, primum rerum principium esse tenebras seu caliginem obscuram atque incognitam. CANON INTERNUS ex regeneratione & nova creatura accersitur, & veritas divina non tantum ex Scriptura, verum etiam ex emanatione divina dignoscitur, idque per Verbum internum, quod cuivis homini connatum esse reputant. CARNALES perinde, ac Tertullianus olim, Montanista factus, Psychicos, eos omnes, quotquot sinceriorum partium studia Theologica sequuntur, dicitant, provocantes ad CENTRUM ANIMÆ (licet quis forte literam Evangelii ignoret) Hoc dicitur CHRISTUS, etiam cuilibet Ethnico connatus.